

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 7527

**Auteur(s) :** Raoul, Les Bottreaux (prêtre)

**Bénéficiaire(s) :** La Vieille-Lyre, Notre-Dame de Lyre (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1275, 25 décembre

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Bail, pour 2 ans, du manoir de la Maillardière, sis aux Frétils (canton de Rugles).

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Études sur la condition de la classe agricole et l'état de l'agriculture en Normandie au Moyen Âge*, Évreux, Hérissey, 1851, Appendice XIV, p. 693-694.

Texte établi d'après a

Omnibus hec visuris, Radulfus, rector ecclesie de Boterellis, salutem in Domino. Noveritis quod anno Domini m° cc° lxx° v° ad Natale Domini recepi ad firmam duorum annorum proximo sequentium de viris religiosis domino abbe et conventu de Lyra manerium eorum de Maillarderia, cum suis pertinentiis, et cum furgiis decime eorum de Boterellis, pro quinquaginta et duabus libris turonensium, quas solvam eis in abbatia sua de Lyra ad terminos subternotatos: videlicet ad Natale Domini anno ejusdem m° cc° lxx° vj° tredecim libras, et ad festum beate Marie Magdalene proxime sequens tredecim libras ; item, ad Natale Domini anno ejusdem m° cc° lxx° vij° tredecim libras, et ad festum beate Marie Magdalene subsequens tredecim libras. Recepit etiam a dictis religiosis instaurum subscriptum, quod tunc habebant in manorio antedicto: videlicet, tres equos cum hernasio, de precio novem librarum turonensium et quindecim solidorum ; item, centum et viginti bidentes, de precio viginti et trium librarum ; item, viginti animalia et duos vitulos, de precio viginti librarum. Recepit etiam altilia et utensilia subnotata: scilicet, viginti gallinas ; sex capones ; sex anates ; quatuordecim aucas ; duo aratra ; quatuor vomeres ; quatuor cultros ; unam patellam ; unam craticulam ; quinque furcas ad fimum ; duas pelas ferratas ; unam securim ad boscum et aliam ad aratrum ; tres archas morantes in domo ; unam bancam ; unam sellam ; unam mensam de abiete. Predictum vero instaurum, vel ejus precium, altilia et utensilia teneat restituere dictis religiosis in fine predictorum duorum annorum. Manerium autem predictum, tam in domibus quam muris et aliis claustris, teneat in bono statu custodire, et in statu quo inveni restituere. Culturam autem de Mara restituam seminatam de albo mixtello, et de illa cultura restituam ix acras fimatas. Et si forte in ultimo anno dicte firme alibi extra dictam culturam aliquam partem terre excoluero, fructus illius levabo et asportabo, ita tamen quod pro locatione dicte terre solvam ipsis religiosis quod justum fuerit secundum arbitrium bonorum virorum ; et pro emendatione terre quam marnavin satisfacient michi juxta arbitrium boni viri. Nec potero de furgiis, culmo vel stramine dicti manerii vendere vel dare ; set remanebunt ad meliorationem terrarum ipsius manerii et instauri sustentationem. Quod si forte citra dictum terminum duorum annorum decessero, dicti religiosi predictum manerium suum cum suis pertinentiis libere sine alicujus contradictione ingredientur et possidebunt, salvo michi et executoribus meis quod ad me spectabit secundum tempus anni quo decessero. Fimos siquidem manerii alibi quam super terras ipsorum

religiosorum ducere non debebo. In quorum omnium fidem et testimonium, presentibus litteris apposui sigillum meum. Datum anno Domini m° cc° lxx° quinto.